# DISSERTATIO ACADEMICA QUAM IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA...

Francesco Della Giusta



# DISSERTATIO

ACADEMICA

QUAM

IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA

UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES OBTINENDOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

PUBLICE DEFENDIT

FRANCISCUS DELLA GIUSTA

PATAVINUS

MENSE NOVEMBRIS AN. MDCCCXXVII.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVII.


442

# PETRO D.RI DELLA GIUSTA

PRAECLARISSIMO

CODROPOLIS IN FORO JULII

MEDICO

FRANCISCUS DELLA GIUSTA

S.

*Cultae societatis mos est, ut civium suorum status et conditiones solemni quodam actu obsignentur, et manifestae fiant. Hinc ad adipiscendam lauream medico-chirurgicam requiritur ab eo, qui hujusmodi honore illustrandus est, ut in magna archigymnasii aula aliquam de re medica disputationem publice habeat. Ita enim privilegio gaudet, quod Principis et Patriae liberalitas Doctoribus impertire solet. Hanc quidem disputationem, quae non jam doctrinam et ingenium meum probat, sed scho-*

*lastici curriculi finem indicat, inscribo Tibi, Patrue amantissime, cujus humanitati et benevolentiae me plurimum debere sentio, et palam fateor. Ex hoc munere sane levissimo velim te meum consilium cognoscere, quo ad audiendos et sequendos libentissime homines doctissimos inducor, ex quibus Te praesertim ducem in excolenda medicina practica deligo, mihique exemplar propono. Scio certe, quam difficilis via sit, in quam ingredior incertus ac timidus. Verum ea mihi spes affulget, ut, Te adjutore firmissimo, fidus ego artis salutaris minister, animosus rationis sectator, et naturae discipulus evadam, et inter effraenatam systematum licentiam et servilem famulatum viam mediam tutus teneam. Atque hoc illud est, unde operam meam utilem futuram, et me Tibi cumulatissime satisfacturum confido.*

# PHYSICAE HUMANAE CONSTITUTIONIS

## DEJECTIO

## OB MORUM CORRUPTIONEM

Nonnulli, qui philosophorum nomine abutuntur, affirmant, hominem ideo natum esse, ut in silvis vitam degeret, et societatem, qua maxime omnes colligamur, violenta et iniqua eidem vincula imponere arbitrantur. Sed, quantum istorum opinio a veritate abhorreat, tum ratio, tum experientia splendide evincit. Omnia enim, quaecumque sunt, naturali lege ad conjunctionem inter se ineundam feruntur; qua conjunctione in primis homo eget, non solum ea de causa, ut animi facultates ad culturam informet, sed etiam ut corpori et vitae suae consulat, quum infantiae imbecillitate urgetur; mortem vero quantum possit, arceat et evitet, quum senectus vires imminuit, et feralem sepulcri umbram instare monet. Hominem igitur ita comparatum videmus, ut ad cognoscendam rerum seriem, quam natura denso velamine obtectam voluit, semper tendat ac laboret; tandem ad se ipsum omne ingenii robur et vim convertat, et studium difficillimae scientiae instituat, quae nimirum est servandi suipsius cognitio.

Jam machina humana per singulas partes saga-

cissimis medicinae oculis inspecta et cognita est: haud in mysteriis amplius numeratur ejus sane mirum organismum: ordo functionum tum in bona, tum in adversa valetudine satis superque detectus est incredibili labore et cura illorum, qui multis et opportunis doctrinis dediti tam sublimem rei nexum imperterrita manu extricare potuerunt. Quamquam vero ita sit, philosophus physicam hominis constitutionem, si eam seria animi meditatione comprehendit, videt de die in diem deficere fere sub ipsis oculis medicinae, et in conspectu tot scientiarum, quae ad eam conservandam unice vigilant. Quin immo ego illud contenderem, quo plus hominum ingenium per immensam scientiarum regionem exspatiatur, novisque cognitionibus ditescit, eo plus deflectere a primo antiquae salutis statu physicam constitutionem. Quod si felix aliqua plaga est, in qua ad centesimum annum hominem vivere natura sinat, quod certe rarum ac singulare habemus, ea non est profecto urbium et civitatum expolitarum, sed solitudinum et silvestrium jugorum.

Quicumque physicam animalem cognoscit, haud negare potest, caeli plagam in physicam constitutionem directe et in intellectualium facultatum explicationem aliquo modo agere, quum hujusmodi veritas omnium temporum observatione et experientia plurimum innotescat. Verum si ab hac una causa penderet physicae constitutionis imbecillitas, id etiam demonstrandum necessario esset, speciem humanam non nisi sola naturae actione imminui et deficere posse; sed si naturae

vicissitudines quamcumque physicam perturbationem in nobis unice producerent, noster iste languoris et dejectionis status aliam sane perturbationem in mundo intellectuali experiretur. Quamobrem non repugno, quominus caeli plaga in physicarum facultatum explicationem agat, sed tamen affirmo eodem tempore, facultates easdem subjici plurimis aliis causis, quae non jam ad naturalem regionis positionem, sed potius ad sociale nationum systema, et praesertim ad educationem pertinent. Itaque quum temperantiam aliquorum populorum considero, qui nimiam hujus temporis elegantiam et mollitiem nescientes, vitam longaevam agunt, et salutem ac robur referunt primarum gentium, non possum quin cum sapientissimis observatoribus affirmem, non jam naturam esse, quae hominem destituat, sed nos potius ab ea quotidie devios ferri; ita ut videatur cultus ipse nostrae hujus vitae, et ipsa civilis consuetudo esse quasi mater vitiorum, nihil aliud homini quam mollitiem, luxuriam et voluptates consulere; quae omnia imbecillitas et languor necessario consequitur. Sed injuria id totum a cultu vitae derivamus. Nec ego hic accuso leges tanquam impotentes et ineptas ad instituendos recte homines, vitamque optime servandam, quum e contrario illae omni laude dignae sint, quippe quae sapientiam praeferunt, et exquisitam pulcritudinem bonitatemque demonstrant. Explicandum solummodo aggrediar, qua ratione legum ipsarum abusio, et privatorum hominum errores concurrant cum multiplicium physicarum causarum fu-

nesta actione ad humanam speciem imminuendam atque enecandam.

Itaque ab examine physicae filiorum educationis, et quorundam alimentorum, et privatarum abusionum ea omnia eruam et proferam, quibus argumentum innititur, et in apertiori luce collocatur.

Balneum tepidum, in quo foetus per novem menses explicatur, profecto inservit augendae sensibilitati organorum, et propterea faciliorem reddit propensionem ad excipiendam nocentium causarum actionem. Certe statim ac natus est, ob contactum atmosphaerae frigidioris, quam quae in utero fuit, vasa omnia cutis coarctantur; irritatio maxima exsurgit ad nervos valde sensibiles, qui per ipsam serpunt; et sublata virium, quae infantem ad perfectum statum adduxerunt, communicatione, oportet ipse unus per se iis omnibus occurrat, quae libero et multiplici vitalium functionum processui obstare et impedimento esse possunt. Quae quum ita sint, pereundum certe esset homini, qui sibi opem ferre nesciret. At natura, provida illa omnium parens, ejus matrem caritate incredibili donat; legislatio, ubi parentes desunt, singularem curam habent et exercent; denique scientia nostra ignorantiae vitia emendat et tollit, quibus saepe accidit, ut aliquid detrimenti patiatur multiplex functio actionum vitalium, quae omnes ad perfectionem infantis debent conspirare, in quo ob textuum flaccidam fragilemque constitutionem vel minimis causis aliquid lethale consequi potest. Sed nolo ego mala

prope incredibilia memorare, quae ante, vel statim post natum puerum solent interdum oriri ex imperitia, errore et superstitione plebejarum feminarum, quibus cura contra legem commissa est sustinendae naturae in difficillimis partus laboribus. Satis est, ut nonnulla vitia observem, in quae consequens physica educatio incurrit.

Quamvis fasciarum usum, quibus ad arcendum frigus, et ad curandam facilius prolem a prima aetate mulier manum admovet, in controversia aliqui ponant, tamen fere necessarium major pars arbitratur ac praedicat. Verum ignorantia illarum mulierum, quae fasciis utuntur, efficit saepenumero, ut hujusmodi usus infantis saluti, explicationi et incremento noceat. *Nos*, inquit Unzer, *filios nostros tanta diligentia fasciis obvolvimus, ut videantur ultra centum millia passuum ablegati: quod quam sit grave ac molestum, sufficeret una vice tantum si duodecim horarum spatio in nobismetipsis experiremur*. Sit quidem optima corporis et singulorum membrorum positio; sed haec incommoda fit, nisi mutari possit. Hinc infantes irrequieti sunt, et in diversas partes sese contorquent. Praeterea ob pectoris compressionem, ob difficilem certe, nisi impeditum, pulmonum et diaphragmatis motum, ob retardatam functionum in visceribus abdominalibus actionem humorum aequilibrium tollitur. Quamobrem observamus oriri palpitationes, tusses, suffocationes, cardialgias, vomitus, indigestiones, obstructiones, vigilias, hernias, et etiam ossium deformitates, unde gibbosorum, mancorum, distortorum multitudo existit;

quodque magis est, observamus imminui facilius diametrum in ossea pelvi puellarum: quae sane omnia nec America, nec Asia videt, in quibus regionibus hujusmodi mala consuetudo minime locum habet, et homines optime crescunt et corroborantur.

Nimis longus essem, si abusionem (1) cunarum persequi vellem, et praesertim errorem nutricum, ne dicam etiam matrum plurium (quod natura refugit et reclamat) quae relinquunt infantes suos in uno cubiculo clausos, per dimidium diei saepe, aerem respirantes, quem carbonum vapor, sordidarum fasciarum foetor, ciborum, lucernarum, nutricis exhalatio totum inficit; relinquunt insuper in propriis sordibus, ac fame et siti etiam torquent, nec audiunt teneros vagitus, quibus frustra ipsi auxilium precantur. Quod si nutrix tandem commovetur et adest, sinum pandit, eum, inquam, sinum, a quo infans quum lac corruptum labore, solatio, et abstinentia avide hauriat, augeri sibi molestias sentit. Quid dicam de praematuro usu paparum, quae et copia et qualitate saepenumero perniciosae in causa sunt indigestionum, verminum, maciei, colicarum, calculorum, convulsionum atque tumefactionum? Nonne praeterea inter scelera, quae innocentissimam aetatulam immerito plectunt, reponenda est pessima illa consuetudo opiatorum medicamentorum ad impediendos vagitus, unde infantes somni-



(1) V. Zuchar. Plattneri. Prolusio de somno infantum ex agitatione motuque cunarum.

culosi et stupidi evadant? Qua quidem re haud scio, an aliquid esse possit magis nocens atque execrabile.

Ex his, quae pauca diximus, patet, hominem ab ipsa infantia nocivarum causarum actioni obnoxium esse propter imperitiam et ignorantiam eorum, quibus quum infantis custodia commissa sit, tanta caecitas animum occupat, ut naturae vocem minime audiant et sequantur, turpitudinis autem notam, a qua cetera animalia longe sunt, sibi inuri stultissime sinant.

Quamquam vero omnia infantiae suae pericula, quibus etiam ad extremum vitae deduci potuisset, aliquis superet; tamen progressu temporis novae, ut ita dicam, pestes insurgunt ex quarumdam consuetudinum licentia, quae physicam constitutionem admodum afficiunt ac debilitant. Profecto fimbriae, pectoralia et aliquae machinae, ad quas parvuli damnantur, ut citius pedibus suis consistant et ambulent, agunt compressione sua in sternum, et in cartilaginosos costarum processus: quare necessario, ut in sua politia medica observat Franck, thoracis conformationem vitiant, et incommoda toto vitae tempore nocentia inducunt. Homo quidem in naturae statu editus majoribus longe viribus praeditus est; per prata reptando incedit, donec stare ex se discat, quod ante nos facit. Regionis quidem Malai infantes fere vix nati in storea humi protensa libere et sine ullis vinculis versantur, et quum ad anni dimidium perveniunt, incedere jam possunt, atque adeo currere.

Quod nos magna admiratione afficit, illud est, hominem in societate positum, quamvis ratione ceteris animalibus praestet, esse iisdem multo inferiorem in ea arte, quae infantiam dirigit, et etiam arte directum raro talem evadere, qualem revera esse oporteret. Parentes nolunt saepe filiorum curam suscipere: alii necesse est sibi hujusmodi onus sumant, quorum aliqui tam solertes et callidi sunt, ut omne studium et omnem scientiam in educanda prole ostentent, et se vere necessarios jactent; quamvis aliter omnino se habeat res. Itaque haec falsa educationis species vanas atque etiam funestas alendorum infantium methodos in societatem invexit. At mehercule quid dulcius, quid jucundius matri esse potest, quam filii sui vitae et commodo invigilare et providere? Potestne inveniri aliquid, quod officii gravitate, et naturae voluptate par sit? Attamen mulieres nostris diebus sunt hujusmodi, ut illi tam serio ac tam dulci negotio inepta et insulsa praeferant; ex quo evidenter dignoscitur, quam ipsae futilia degustent, et quam male ab initio fuerint institutae. Sane deplorandum maxime est, feminas, quas natura ad sublime matris munus destinavit, huic eidem deesse, quod ceteris omnibus gravius et sanctius esse oporteret. Fit autem haec culpa magis in iis mulieribus manifesta, magisque dominatur in iis, inquam, mulieribus, quae omnium errorum jugo victae et subactae sanctissimam naturae vocem nec audiunt, nec sequuntur, qua ad alendam prolem potenter pertrahuntur. Atque haec inter graves recensenda est

causas, cur homo ignorantia haud raro et superstitione oppressus non jam naturae et rationi obsecundet, sed futilibus et perniciosis consuetudinibus cedat.

Nimirum a feminis, ait celeberrimus Genevae philosophus, prima hominum educatio pendet, quum ab ipsis quoque plurimum pendeant mores, cupiditates animi, voluptates, atque ipsa felicitas. Observat historicus Tacitus, primis reipublicae romanae temporibus, illustriores matronas omnem virtutem et gloriam suam in filiorum institutione collocasse; et e contrario queritur ipse acerbissime de matronis aetatis suae, quae luxuria et mollitie effluentes rem maximi momenti negligebant. Marcus Fabius Quintilianus conditionem miseram suorum civium lamentabatur, eosque docebat, antiquas matres prolis educatione unice oblectatas fuisse.

Quod si quantum temporis feminae inanibus studiis atque artibus tribuunt, id totum insumerent in implendis iis muneribus, quae liberorum instituendorum ratio postulat; illae quidem aperte scirent, operam suam ad physicam et moralem hominis educationem, et ad totius societatis bonum valde conferre. Sed hoc non solum matrum est officium, sed etiam patrum, quippe quia ad utrosque felix exitus, et utile rei commodum pertinet (1). Cato quidem, gravissimus ille vir et sapientissimus civis, diligentissime providebat, ne quid vel minimum tenerae proli et adhuc in cu-

(1) Balleixurd dell' educazione fisica de' fanciulli.

nis degenti deesset, quod aliquo modo necessarium arbitraretur. Scimus, Themistoclem lusisse cum filio, et maximam inde voluptatem retulisse. Nunc vero quasi pudet plures ad parva et levia descendere cum liberis suis; sed non pudet (proh Superi immortales et perversa hominum mens!) non pudet agere curam de canibus et equis, quos custodiri et ali summa diligentia jubent, et illum interea negligere, cui vitam dederunt, et qui bonorum heres, et patriae spes esse aliquando debet.

Silentio praetereo damna illa propemodum infinita, quorum causa repetenda est ab iis, qui puerorum fervidam et alacrem aetatem in intempestivo officio continere volunt, qui eosdem ad quietem, et ad solitudinem damnant, qui irrequietos semper pueritiae motus sedare vel etiam tollere conantur; nihil dico de infirmiore salute, quae per annos consequentes inducta est, si qui minis, verberibus, poenis, aliisque hujusmodi cogunt juventutem ad studia et labores; nihil de animi corruptione, quam interdum parere potest collegiorum et seminariorum disciplina, si male adhibita fuerit; unde fit, ut si minus apta, aut minus vigilans sit atque prudens, sexus praesertim virilis nec convenienter insitam imaginandi vim foveat et ad grandia excitet, nec exercitio et agitatione corporis sese confirmet et corroboret; quae quidem si ita adhiberentur, non solum a moestitia et a languore, sed etiam a secretis voluptatibus, quas vitiosa solitudo secum affert, pueros longe distraherent.

Confecto autem hoc primae aetatis curriculo, quid miramur, si adolescentes otio indulgeant, inanem vestium elegantiam sectentur, muliercularum amore capiantur, earumdem mancipia fiant, et totam vitam voluptuose degant? si valetudini damna importentur, animo jam vitiis fracto, et convulsionum frequens molestia subsequatur, si tandem citius, quam oportuit, mors immineat, et filii relinquantur hereditariis morbis, et moribus perversis adflictati?

Restat, ut aliqua dicamus de physica puellarum institutione, in qua magis errores praevalent. Ab illa itaque repetamus opus est causas primas, quibus humana species degener fit. Nam feminae sunt, quae quum ad edendos filios natura destinentur, maxime interest, si depravata constitutione careant. Harum organici textus perturbationem et languorem pati possunt ex solitudine, in quam saepe muliebris sexus relegatur, ex vita inerti vel nimis arcta et laboriosa, ex otio et mollitie, quam mores divitiis corrupti inducunt, ex impedita salubri corporis exercitatione, ex immodico studio quaerendi etiam necessarii commodi, atque ex ipsa cupiditate sectandarum nugarum, qua usque a teneris unguiculis, matrum saepe hortante exemplo, maxime abripiuntur. Ad haec accedit lex praepotens quarumdam recentium consuetudinum, qua mulieribus praescriptum est, ut circa pectus aliqua arctissima vincula congerant, quae ego torcularia dixerim; unde interdum foetuum deformitas consequitur, quos utero gerunt. Accedit impudentissima membrorum denudatio,

qua omnes omnium tempestatum injurias excipere coguntur, jubente ea lege, quam diximus. Id autem in causa est, cur morbosae irritabilitates oriantur, et nulla fere mulier sit, quae laetissimo physicae constitutionis et salutis robore nuptias ineat, generationis muneribus fortiter fungatur, et sanam omnino prolem sufficiat.

Inter ea, quibus vita indiget, illud prorsus necessarium est, quod reparat quotidianas mixti organici jacturas. Atque in hoc nimirum nunc immorabimur, ut societatis prosperitatem observemus, quoad physicam constitutionem attinet.

Ex omnibus animantibus homo est, qui majori substantiarum varietate ad alimentum utatur. In hac etiam parte beneficium naturae clare patet, quae homini id concedit, ut faciliori et multiplici modo suis necessitatibus, suaeque vitae bono satisfaciat atque provideat. Sed ipse ingratus hoc donum sapientissime largitum dedignatur, et suiipsius hostis luxuriem et lucrum quaerit venditione substantiarum, quae per se vel arte factae nocent, et insana compositione ciborum, qui toti organismo reapse detrimento sunt. Inspiciamus, quaeso, nutrimenta pauperum, quae publica laniorum avaritia, et venditorum turpis cupiditas in propatulo habet. Nempe carnes sunt vetularum juvencarum durissimae, quas tot partus exhaustas fecere et fortasse lues infecit; sunt rancida, corrupta et foetentia animalium corpora, quae postquam in obscuris gelidisque penetralibus latuerunt, prodeunt in hominum conspectum varie et simulate praeparata, et quibusdam aroma-

tibus et sale condita dulce venenum palato exhibent. Frumenta vero ab initio male tosta, vel diu in horreis servata, ut pecunia inde turpissima comparetur, negotiatores ditissimi inter puram Cererem commiscent, et per minutos mercatores famelico vulgo venalia faciunt. Sequitur fraus in ipso pane praeparando, ut improbum genus non appareat, vel pondus crescat. Acerba aut putrefacta poma, saturata aquoso humore olera sunt vegetabiles substantiae, quae per omnia fora prostant, et pauperum obolis inhiant. Satis est oculos habere ad horum malorum seriem videndam, quam profecto popularibus morbis originem dare ad unum omnes affirmant.

Quanta ego nunc proferre possem de adulteratis spirituosis liquoribus, quos gulae intemperantia ad infringendam salutem excogitavit? Quam magna in salubribus materiis profunditur venenosarum substantiarum copia? Cujus rei ut innotescat veritas, processus legendi sunt, quos ad vinorum analysim Scopoli, Bertand, Hebenstreit, Plouquet, aliique huic medicinae politicae argumento dediti instituerunt, remque gravissimi ponderis existimarunt. Praeparationes plumbi ex. gr. ad dulcem saporem vino adjungendum, alumen solutum ad depurandum, alcool ad augendam vim, ut infinitam aromatum copiam omittam, in quantam societatis perniciem redundant? Praeterea voluptuosae gulae aviditas, qua ad vitiosam voracitatem, et ad excogitandas inusitatas ciborum praeparationes impellimur, ut exquisitae fiant gustus deliciae, nonne innumerabilium malorum fons et

origo est? Aromaticae quidem materiae, et spirituosi corrupti liquores, quorum infame est commercium, facillime miscentur animalibus substantiis, quae victui quotidiano inserviunt. Itaque insurgere observamus cardialgias, stomachi ardores, sanguinis turgescentiam, congestiones viscerum, inflammationes, hydropes, vertigines, apoplexiam. Incredibile dictu est, quantus in tota Europa usus sit aromatum, quamvis manifesta prodeat eorumdem adulteratio tam exquisita et delicata contra leges magistratuum publicae sanitati consulentium.

Verum non modo pessima alimentorum ratio, sed etiam ipsa intemperantia in physicam constitutionem directe agit, quod jure observandum a nobis est. Certe ex fame et siti metiri oportet modum cibi et potionis: sed quotusquisque est, qui limites utriusque cognoscat, et sese intra eosdem contineat? Quotusquisque distinguit naturalem ciborum appetentiam ab illa aviditate, quam condimenta excitant nostris ferculis immixta? Quae quidem non solum addito stimulo totum organismum perturbant, sed etiam dynamicas stomachi proportiones afficiunt enormiter, et localia et universalia incommoda in animali machina gignunt. Abstinentiae exempla multa quidem ex historia depromere possumus, unde maxima sobrietatis bona arguuntur, non ita vero intemperantiae. Augustus, primus ille Romanorum imperator, paucissimo cibo delectabatur: *minimi cibi erat*, ait Suetonius; hinc quam longaevus ipse fuerit, omnes compertum habent. Newtonius autem,

astronomiae cultor vere immortalis, ad maximam senectutem pervenit; utebatur quidem exiguo pane et aqua, raro autem modico vino hispanensi et pullo gallinaceo. Sed ne alios persequar, rusticos homines videamus, qui simplicibus alimentis contenti melius se habent, et diutius vivunt, quam dites urbium incolae, quibus ars coquinaria tam infesta ac noxia est.

Ex diaeteticis regulis, quae ad servandam salutem magis conferunt, praecipua est illa, inquit Tissotius, evitandae mixtionis differentium ciborum, nec plus quam duo vel tria opsonia in quocumque pastu sumendi. E contrario mensae apparatus infinita ciborum varietate nitescit, et convivarum stomachus brevissimo temporis spatio aliis atque aliis dapibus oneratur: quamobrem physicae constitutioni nil pejus, nil perniciosius accidere unquam potest.

Si Frank audimus, intemperantiam medicinae parentem fuisse noscimus, parentem profecto funestissimam, quae tamen filiam, a qua vitia sua emendarentur, procreavit. Me quidem haud latet, majoribus nostris licet ad bibendum maxime pronis optimam fuisse valetudinem; sed animadvertendum est, horum ebrietatem ab innocuae cerevisiae potione profectam esse: quod longe aliud est ac igneo illo, ut ita dicam, liquore immergi, quo plures hominum quotidie oblectantur. Hinc tot inflammationes, obstinatae obstructiones, hydropes, tumores, indurationes in ipso aetatis flore multos affligunt atque perdunt. Hinc cerebrum comprimitur a sanguine, qui quum ne-

queat ob nimiam repletionem in ventre libere circulari, ad illud necessario affluit majori copia, et apoplexias inducit, quibus helluones saepissime corripiuntur.

Nostris quidem diebus nervosi morbi ii sunt, qui quoslibet fere homines tenent. Id ab immutata nimis vivendi ratione pendere nemo est qui dubitet. Igitur palatus exquisitorum ciborum et potionum sapori semper assuetus omnem sensibilitatem paullatim exuit, et ventriculo quasi callum obducitur; unde contingit, ut ex necessitate stimuli acriores admoveantur, qui non minus fatales ac primi, per universa organorum systemata ex effectu dynamico et chymico noxias perturbationes propagant, et miserrimam natis ab hac helluonum specie filiis hereditatem transmittunt. Vituperabile sane est, ait Socrates, homines non medicis egere solum, ut vulnera aliique morbi ab atmosphaerae constitutione profecti curentur, sed ut etiam illae affectiones tollantur, quas pessimas intemperantia, ebrietas et otium ingenerat. Vel florentissima imperia ex luxuria, et praesertim ex insania epulandi, quae cives invasit, collabefacta fuisse historici scriptores testantur. Quae pernicies ut summoveretur, leges a Lycurgo contra intemperantiam latae sunt, magistratus ab Atheniensibus fuit constitutus, lex vero Fannia, Orchia, Didia, Lepidia, Antia apud Romanos viguit, de quibus multa in Plinio. Saxonia etiam et Helvetia posteriori aetate, ut de aliis nationibus taceam, optima de coercendis epulis sanxerunt.

Homines quidem politioribus moribus ornati non tam vini amore feruntur, quam vulgares et infimi. Quod vero maxime dolemus, illud est, adolescentes vino indulgere. Quis autem mente comprehendat innumerabilem malorum tum physicorum, tum moralium congeriem, quae ab ebrietate fluunt? Maesii et Massilienses mulieribus et viris, qui nondum trigesimum attigerant annum, vinum interdicebant; quod etiam apud Quirites invaluit. Egnatius Metellus ad id devenit, ut uxorem occideret ream hausti vini; nec quisquam fuit, qui illam necem accusaret. Omnibus enim civibus penitus infixum erat animo, capitali poena dignum esse, qui sobrietatis leges infrangeret. Scimus insuper universi, qua severitate Mahumedes vini usum suis interdiceret. Quod si quis adhuc esset, qui dubitaret de pessimis hujus liquoris effectibus in salutem publicam, et vitium quo fortasse correptus est, defenderet, experientiam certissimam omnium rerum magistram consulat et interroget. Is profecto animadvertet, paucissimis exceptis qui raro consuetudinis privilegio gaudent, infinitos homines vini cupiditate robustam salutem amittere in ipsa adolescentia, quo munere nihil melius et jucundius physico homini a Superis impertiri potest. Quamobrem machinam fatalibus morbis obnoxiam faciunt, robur et virilitatem ponunt, nec unquam ad bonam senectutem perveniunt. Quae vero omnia ferenda etiam essent; sed quod multo miserius est, mores corrumpuntur adeo, ut scelera cum impudentia sint conjuncta. Intuemur enim mulieres, ubi vino

indulgent, inverecundam frontem induere, et prostitutioni corpora audacter offerre, viros autem in omni nequitia et libidine volutari. Nec difficile est has belluas cognoscere, in quarum vultu non jam rosae color efflorescit, sed debilitatae naturae squallor teterrimus sedet.

Verum, ut orationi finem imponam, quae certe in latiorem campum posset excurrere, si omnia prorsus recenserem incommoda in societatem per hujusmodi vitium invecta, dicam haec solummodo et concludam. Deletis omnino atque obliteratis aureae aetatis vestigiis, ferream aetatem adduxerunt effraenatae animi cupiditates, vitae intemperantia et luxuries, otii desidia, explendarum libidinum facilitas, morum depravatio: quibus omnibus quum sese incaute humanum genus totum dedat, erumpit necessario quaelibet morborum vis, et physicam constitutionem dejicit atque prosternit.

# THESES

## I.

Felix plurimarum affectionum exitus potius a diaeteticis, quam a pharmaceuticis auxiliis pendet.

## II.

Balnea tepida infantibus recens natis magis utilia sunt quam frigida.

## III.

Magnum tenet locum pro physica generis humani prosperitate connubium.

## IV.

A sola publicae sanitatis magistratuum potestate syphillidis destructio speranda est.